

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
GRAVIDITATIS MOLESTIIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRÆSIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D Professorum,

PRO

DOCTORIS MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ

LAUREA

RITE OBTINENDA

in celeberrima

C. R. ACADEMIA JOSEPHINA,

publicae disquisitioni submittit

Aloysius Würzner,

Bohemus e Landskron.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Decembris anni 1844.

VINDOBONAE.

TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

— Wenn Natur dich unterweis't
Dann geht die Seelenkraft dir auf,
Wie spricht ein Geist zum andern Geist.

Goethe's Faust.

Man verlangt von einem Arzte Unmögliches; Todten das Leben wieder geben, Abgelebte blühend zu machen: das ist es, was man von einem Arzte verlangt; und bedarf man dann nicht seiner, so verspottet und tadelt man ihn.

Arme Medicin! Arme Aerzte!!!

Voltaire.

Seiner Wohlgeboren

dem Herrn Herrn

ANTON RIEDER,

Fürst Aloys Liechtenstein'schen Oberamtmanne der Herrschaft Landskron.

Weihet

diesen Versuch literarischer Arbeit

als

geringes Denkmahl

seiner

innigsten Hochachtung und Verehrung

der Verfasser.

Quamquam graviditas sit status organismi muliebris physiologicus, tamen varias secum ducit functionum organismi turbas, et magnam inducit in varios morbos dispositionem. Id vero non mirandum, quamprimum mutationes in corpore femineo, praegressam conceptionem subsequentes, sive anatomicas sive physiologicas adtenta perscrutamur mente.

Quamvis nobis in proposito non sit graviditatem ipsam ex omnibus illustrare partibus, sed brevem tantum quorumdam morborum periodo huicce familiarium tradere conspectum, nihilominus, ut, quae dicturi sumus, accuratius intelligantur, quaedam graviditatis ex physiologicis hic loci praemittenda esse censemus.

Mutationes, alterationes, quas offere solet graviditas, id est, tempus a conceptione ipsa, usque ad partum excurrens, in duplicem secedunt classem, quarum altera ad matrem ipsam, altera ad embryonem sive foetum spectat.

Quamvis inter utramque mutationum seriem arctus intercedat nexus, tamen brevitati studentes, utpote matris gravidae nonnisi morbos depicturi, omissis iis, quae circa foetus evolutionem proferri possent, illas, quas gravida experitur, alterationes confestim exponemus.

Eminentissima post conceptionem phaenomena in utero evolvuntur matris. Viscus hoc in statum conjicitur turgescentem, vasa sanguifera tument, ampliantur, sanguinis crasis ipsa modificatur ita ut magis plasticam

offerat indolem; ipsi nervi allongantur et incrassantur; ut Tiedemann demonstravit.

Primo quidem substantia uteri evadit sicca, mollior et laminosa, strata ejus evadunt magis conspicua; facies interna uteri adparet laevis, attamen inaequalis, vasis ditior, et plurimis filamentis microscopii ope conspiciendis obducitur, atque substantia pultacea, collum obtegente et cavum visceris claudente investitur. Paries anterior recedit a posteriore, internam uteri faciem membrana decidua, sacci ad instar implet, ipse canalis colli uterini epistomeo obstruitur muciformi. Sub graviditatis decursu cavum uteri ita sese explicat, ut diameter longitudinalis a 2 usque 12 — 14 pollices, diameter transversus a $1\frac{1}{2}$ usque ad 8 — 10 pollices, diameter ex antica parte in posticam ductus 1—9″, ambitus 26 — 28″ et contentum paene ad 400 pollices cubicos ascendat.

Eodem tempore et massa parietum uteri augetur, ut, quae alias $4\frac{1}{2}$ pollices cubicos exhibuit, nunc 50 pollices cubicos referat.

Ultimis graviditatis temporibus explicatio fibrae muscularis in parietibus uteri praevalet.

Crassities parietum primo quidem increscit, serius vero imminuitur, tamen parietes ubique aequales modo crassae modo tenues reperiuntur.

Forma uteri initio camplanati et triangularis abit in pyriformem, dein in ovalem.

Pondus valde augetur.

Locus, in quo servatur uterus, variat. Primum quidquam sese demittit, descendit, mense 2do orificium uteri antrorsum vergit, serius uterus in cavum abdominis sensim sensimque ascendit, donec mense 9no usque ad scrobiculum cordis pertingat, mense 10mo lunari iterum relabatur.

Temperatura, sensibilitas et vitalitas hujus organi simul adaucta observantur.

Praeter uterum, et partes aliae contiguae modificantur. Ligamenta uteri lata quasi secedunt ab invicem, uterum amplexura, quo ovaria et tubae Fallopianae ad partem uteri lateralem retrahuntur. Ligamenta rotunda incrassantur, magis vasculosa evadunt, et ante uterum descendunt. Pelvis fit succulentior, praecipue ad symphyses ossium.

Vagina initio, utero descendente, apparenter abbreviatur, serius prolongatur, dilatatur, thermogenesi et secretione mucosa valide adaucta, quod et in labiis pudendi majoribus, aeque ac in nymphis observatur, quae tumescunt et rubescunt.

Proxime ubera in metamorphosin hanc singularem rapiantur, turgent, tument, magis evadunt tensae; vasa sanguifera mammis dicata, sanguine scatent, vasa lymphatica adparent copiosiora; papillae magis explicantur et prolongantur, areola simul aucta squalidiori, rubra aut brunea. Sensilitas mammarum increscit, 3^tio^ mense puncturae frequentes superveniunt, et septimo secretio fluidi serosi, lactei.

Ea ratione, qua uteri volumen augetur, organa adjacentia varias exinde experiuntur mechanicas laesiones. Vesica urinaria sursum truditur, urethra fit magis perpendicularis; intestinum rectum comprimitur, unde facile faecum oritur accumulatio; intestinum crassum et tenue sursum, ad latera et retrorsum pelluntur; ventriculus nec non diaphragma, colon transversum et hepar praeprimis antica parte sursum premuntur, ita ut cavitas abdominalis evadat major, cavum thoracis vero imminuatur. Trunci venosi pelvis comprimuntur, et hac ratione venae extremitatum inferiorum et abdominis intumescunt, venaeque haemorrhoidales ampliantur.

Vasa lymphatica angustantur atque tumoribus explicandis ansam ministrant.

Cutis abdominis tenditur et extensa attenuatur,

musculi lateris dextri prolongari dicuntur; aponeuroses abdominis quoque extenduntur et attenuantur.

Graviditatis processus non solum ad organa genitalia, partesque vicinas mechanice adfectas restringitur, sed systemata organismi plus minusve omnia tangit, cujus ratio sese symptomatibus prodit sat conspicuis.

Sanguinis torrente ad uterum magis directo, turgor cutis evanescit, facies quidquam collabitur, pallescit, oculi languescunt, in orbitam retrahuntur, halone livido saepe cinguntur, nasus et mentum magis prominent, acuminantur, genis retractis, os amplius evadit, collum majorem assequitur ambitum. Sanguificatio alacrius procedit, plethora sese insinuat, pulsus fit frequentior, plenior, durior, fortior, imo febrilem in modum intermittens, nisi forte symptomatibus nervosis praevalentibus continuo aut periodice evadat parvus, spasticus, duriusculus, contractus. Sanguis plasticam offerens indolem, fibrina scatet. Actio systematis lymphatici alacrius procedit.

Sensibilitas systematis nervosi modo aucta, modo imminuta, nonnunquam peculiarem in modum alterata est, ita ut neuralgiae cujusvis generis in scenam prodeant; quibus sese adsociat: proclivitas in vertigines, lypothymias, irritabtlitas major ad adfluxus externos; sensuum externorum alteratio, unde olfactus, gustus, suetis potentiis ingrate adficiuntur; dysosmia, nausea, variae idiosyncrasiae, vomitus ipse in conspectum veniunt; sensus auditus hebescit, pupilla coarctatur, oriunturque spasmi, anxietas et alia phaenomena systematis nervei modificationem patefatientia.

Transpiratio cutis modo augetur, modo imminuitur, peculiariter redolet, cutis decoloratur, impetiginibus foedatur, temperatura dicitur augeri.

Appetitus primis jam mensibus imminuitur atque alteratur.

Praeter systemata haec patiuntur et singula organa, imprimis illa, quae arcto cum systemate vasculari junguntur connubio, ut: pulmo, cor, hepar.

Pulmo enim, diaphragmate ascendente, in explicatione sua prohibetur, et praeterea sanguinis crasi immutata, cursu laticis vitalis accelerato aeque ac cor in activitatem majorem compellitur; respiratio evadit brevis, citata, dyspnoea exoritur, cor celerius atque fortius in contractiones agitur. Vox saepe mutatur, loquela fit difficilior, sonus evadit raucus.

Hepar intumescit, stasibus laborat, regioque hypochondriaca dextra sensilis atque dolorifica reperitur; turbatae hepatis functiones sese manifestant per secretionem bilis adauctam, atque per maculas in cute conspicuas. Organa urinaria uberius secernunt lotium, et vesica urinaria frequentius sub initio atque fine graviditatis ad urinam mittendam impellitur.

Glandulae salivales pari modo salivam secernunt copiosiorem, vitream, quae secretio non raro in ptyalismum abit.

Adipis depositio praecipue in regione pelvis et lumborum incrementa capit; musculi dorsales atque extensores femoris fortius agunt, ut aequilibrium servetur.

Tandem et psychicae facultates diversas subeunt aberrationes.

Intellectus aut hebescit, aut acuitur, immaginandi facultas majorem prodit agilitatem, judicium evadit incertum, voluntas debilior, affectus mobiles, observantur antipathiae, ira et crudelitas nonnunquam mulieres invadunt, quae alias animi mansuetudine, benevolentia et misericordia excelluere. — Spectatis omnibus hisce, functionum alterationibus in organismo gravido sese patefacientibus, neminem latet, harmonicum eorum concentum laesum, statumque corporis adesse, morbo quam maxime accedentem.

Quamvis quidem, eum statum morbum adpellare

non audemus, negare tamen non possumus, organismo gravido inesse in morbos plurimos maximam dispositionem.

Symptomata enim in diversis organis et variis in systematibus hocce tempore observata, quamquam ab organismo sat saepe sine noxa ferantur, non raro tamen altum assequuta gradum, sanitati relativae, imo ipsi vitae insidias struere valent.

Quousque suetos non transgrediuntur limites, objectum pathologiae efficere non possunt; quamprimum autem exorbitant, therapiae rationalis expostulant opem.

Graviditas vero ipsa in normalem et abnormem distinguitur. Ad posteriorem refertur:

1. graviditas extrauterina; ovulo ad uterum non delato, sed alibi sese explicante;

2. graviditas molaris, seu mola; ovulo in uterum deducto, ibique tamen non secundum normam evoluto;

3. abortus et partus praematurus, quum ovulum in utero explicatum ante mensem 6. vel 9. ex utero pellitur;

4. graviditas ultra tempus justum extensa seu partus serotinus.

Morbi vero gravidarum, quatenus cum ipso graviditatis cohaerent processu, vel organa adgrediuntur sexualia vel alia organa, quae ob nexum, quo cum illis versantur, anatomicum aut physiologicum, ab isto processu in rationibus suis mechanicis aut dynamicis solent turbari. Nec praetereundae sunt adfectiones a foetu ipso ejusque involucris progressae.

Tantam morborum cohortem hic pertractare et loci angustiae defendunt, et experientiae multiplicis defectus nos vetat; quapropter ex omni turba quaedam speciatim adducemus, quae in adparatu nerveo, vasculari, respiratorio, uropoëtico atque digestivo radicantur, et plerumque inter graviditatis molestias occurrunt.

I. Adfectiones systematis nervei.

A. Neuralgiae.

Primis graviditatis temporibus mammae evadere solent dolorificae, partim ex valido ad partes has humorum adfluxu, partim ob subitam glandulae mammalis explicationem, et inde nata inconsueta organorum illorum tensio.

Dolor ille, quo mammae nonnunquam sub fine graviditatis adficiuntur, semper ex nimia cutis tensione est derivandus.

Therapia. Casu primo sanguinis depletiones indicantur, praesertim in individuis plethoricis; in reliquis casibus inunctiones conducunt oleosae, fomenta emollientia et remedia narcotica non excitantia.

Dolores cutanei, qui occurrunt in regione hypogastrica nec non inguinali, originem debent eximiae parietum abdominalium extensioni. Dolores circumscripti, pressione et corporis motu augendi, respirationem non prohibentes, quos gravidae nonnunquam ad inferiorem thoracis partem persentiunt, a fibris musculorum abdominis obliquorum in loco, ubi inseruntur, admodum tensis, derivandi, medicaminibus non semper fugandi, post partum sponte cessant.

Therapia. Indicantur frictiones, atque balnea emollientia nec non remedia anodyna.

Dolores in regione inguinali ab infarctu et tensione ligamentorum rotundorum proficiscentes ex sede sua secundum ligamentorum decursum, et intumescentia ad annulum abdominalem dignoscendi eandem requirunt therapiam.

Dolores sic dicti renales, in regione lumbali et sacrali obvenientes, varios agnoscunt fontes, ut: liga-

mentorum latorum tensionem; nervorum lumbalium pressionem, vasorum pelvis et uteri oppletionem, nimiam uteri expansionem, musculorum dorsalium lassitudinem.

Ad priores harum causarum, ex augmento quod dolores capiunt sub ingressu aut statu protracto, concludere licet; infarctus vero vasorum pelvis atque uteri, sensatione oppletionis in hypogastrio, sensu ponderis et caloris adaucti in pelvi, nonnunquam pulsatione manifesta atque symptomatibus plethoram universalem indicantibus sese manifestat; nimia uteri expansio ex aucto ejus ambitu, tensione, duritie nec non ex sensilitate nimia cognoscitur; musculorum tandem delassatio ex juvantibus et nocentibus, ex loco quem occupant fixo, dolorum denique sub pressione incremento perspicitur.

Therapia. In casu primo situs horizontalis; in plethora et uteri expansione venaesectio, in ultimo casu frictiones spirituosae aromaticae conducunt.

Notandum tamen, dolores per abdomen et regionem lumbalem explicatos non raro enteritidis, peritonitidis, nephritidis, rheumatismi aut alius generis adfectionis sistere posse symptoma, a medico rationali extricandum.

B. Spasmi.

Ecclampsia.

Quae sub partu aut expulsis secundinis observatur ecclampsia ab illa in gravidis occurrente non differt.

Morbum plerumque prodromi praecedunt, cephalaea, vertigo, visus obnubilatio, oculorum splendor, conjunctivae injectio, facies torva, rubra, quidquam tumida, musculorum faciei oscillationes.

Non raro derepente atque subito irruit, cum mentis abolitione, et validis trunci atque extremitatum convulsionibus. Musculi, cava formantes, manent saepe intacti, nonnunquam tamen et ipsi convelluntur, quo in

casu partus summa cum celeritate absolvitur. Symptomata observantur sequentia: Praeter mentis abolitionem musculorumque convulsionem, et sensibilitatis animadvertitur suppressio, temperatura capitis est evecta, carotides et arteriae temporales fortiter pulsant, facies livet, tumet quandoque pallet, ex ore spuma propellitur, respiratio saepe fit stertorosa, extremitates inferiores pallescunt, frigent.

Duratio insultus nec non intervallorum varia est. Conscientia per intervalla aut redit aut manet abolita.

Duratio totius morbi aeque varia, modo unum alterumque celebrat insultum, modo per plures dies protensa pluribus conficitur paroxysmis.

Exitus morbi:

1. in *sanitatem*, paroxysmis aut subito aut sensim sensimque evanescentibus;

2. in *morbum alium* uti: paralysin, maniam et melancholiam;

3. in *mortem* cerebri oppressione, eaque per nimiam vasorum turgescentiam, aut exsudatum sanguinolentum, serosum.

Saepe tamen ne minima quidem in cadavere organica detegitur mutatio, ita ut sit difficillimum explicatu, qua ratione mors inducta fuerit.

Morbus utique periculo plenus, quo non solum matris sed et foetus vita periclitatur.

Ex causis, symptomatibus, exitu et necroscopiis facile convincimur, dispositionem in congestiones versus encephalon, exortas sub graviditate circuli sanguiferi turbas, in quibusdam mulieribus tantum assequi gradum, ut jam per se, aut favente sensibilitate gravidae nimis exaltata, aut alia adhuc accedente causa eclampsiam provocent.

Therapia. Indicationes, plethoram sive universalem sive localem tollendam, revulsionem in parti-

bus remotis producendam atque obstacula seu impedimenta mechanica auferenda, jubent.

Quoad plethoram quadrat sanguinis evacuatio, individui viribus, insultuumque intensitati adcommodata. Itaque venaesectio pro re nata repetenda, hirudines in collo ad processum mastoideum collocandae.

Ad revulsionem producendam adhibentur sinapismi, quibus plantae pedum atque crura obteguntur. Pediluvia irritantia extra paroxysmum. Vesicantia ad femora et crura, quorum effectus tamen segnis; clysmata tubam intestinalem irritantia, contractiones uteri simul promoventia; balnea demum tepida, qua efficacia revulsiva et antispasmodica commodari merentur, sub quorum usu caput fomentis frigidis aut glacie obtegitur. Ab emeticis abstinendum.

Obstaculum mechanicum, ecclampsia jam per remedia designata aut fugata aut imminuta, vel a natura ipsa, vel illa non sufficienter opitulante, artificialiter removetur.

Membranae itaque foetum ambientes aperiendae et liquore effuso, partus ulterior naturae viribus committendus. Quodsi neque partus rite procedit, vel foetus versio, vel forcipis adplicatio locum habet. Partu vero absoluto, ecclampsia tamen perdurante, corpora peregrina si quae adsunt adhuc in utero, velut secundinae aut sanguinis coagula extrahenda veniunt.

II. Turbae in Systemate vasculari.

A. Plethora.

Plethora constans graviditatis comes, non raro altiorem assecuta gradum, perniciem matri minatur, sanguinis scilicet torrente ad organon quoddam nobile ruente.

A processu nutritionis exaltato potius, quam a

retentis mensibus derivanda est. Augetur vero exercitio musculari neglecto, ferculis lautis, quin imo nulla harum causarum praesente, a sanguificatione nimis alacri dependere videtur.

Inter symptomata plethorae praecipua referuntur. Carebaria, somnolentia, vertigo corpore antrorsum curvato, oppletionis sensus, extremitatum tumor, motuum difficultas, epistaxis levis, habitualis, congestiones ad vasa pelvis, nonnunquam gingivarum dolor, tandem plenus et durus arteriarum pulsus.

Symptomata haec nonnunquam sub omni graviditatis periodo observantur, mense tamen sexto et septimo praecipue in scenam prodeunt. Nisi causae certae adsint, quibus congestiones versus organa nobilia inducantur, sanitas absque insigni damno persistere potest.

Therapia. Indicantur motus musculares modici, alimenta minus nutrientia, potus refrigerantes et sanguinis evacuationes universales, imo pro re nata locales.

Tempus evacuationis in gravida ita restrictum non est, ut quocumque mense urgente necessitate evacuatio institui nequeat.

Quantitas sanguinis extrahendi plethorae fugandae, non vero debilitati inducendae sufficiat.

B. Haemorrhagiae.

Epistaxis modica apud gravidas frequentissima, evacuationem salubrem potius quam morbum sistit. Raro adeo eximia, ut periculum minetur.

Causam ejus sistit plethora, atque circuli sanguinei, in partibus infra diaphragma sitis nec non in pulmonibus impedimenta, per uteri incrementum inducta. Ex iisdem causis:

Haemoptoë atque haematemesis oriuntur. Morbi hi ob graviditatem praesentem difficile curantur; venae-

sectio ipsa eosdem nonnunquam non frenat; et dantur casus ubi, in partu artificiali unica spes vitam servandi, posita esse videtur.

Metrorrhagia, haemorrhagia uterina. Uteri gravidi dispositio in metrorrhagias ex physiologicis patet.

Distinguitur in metrorrhagiam *externam*, in qua sanguis extrorsum fluit, et cujus descriptionem hic loci ommittere possumus, et *internam*, ubi sanguis inter membranas foetum circumdantes, atque parietes uteri, vel intra membranas foetus ipsius promanat, *haemorrhagia foetalis.*

Causa metrorrhagiae frequentissima dicitur placentae adhaerentis solutio, quae aut per potentias efficitur externas, mechanicas, in quo casu nullis congestionibus praegressis, haemorrhagia statim post actionem externam adparet, temporis solum intervallo, quo sanguis per superficiem membranarum defluit, intercurrente — aut per uteri explicationem inducitur, ubi placenta collo adhaerens, ultimis graviditatis mensibus non pari passu cum collo ipso explicatur, quo fit ut pars ejus uterina rapide extendatur atque laceretur, quod peculiaribus stipatur symptomatibus, aut tandem per circumstantias sub omni vitae periodo simili modo agentes, ut per plethoram, animi pathemata etc. ubi per sanguinem ex vasis prorumpentem, vincula, quorum ope placenta utero adhaeret, solvuntur, in quo casu haemorrhagiam symptomata congestionis versus uterum praecedunt.

D i a g n o s i s.

Haemorrhagia uteri externa cum menstruis commutari potest. Commutatio haec nullo tamen stipatur damno, cum medicum semper quantitatem sanguinis evacuati respicere oporteat. Majoris et momenti, causam, morbum producentem, cognoscere.

Haemorrhagia ex placenta praevia orta, mense

graviditatis sexto aut septimo adparet, saepissime absque omni causa excitante, initio levis mox sponte aut therapia simplici cedens, brevi tamen reversura atque tractamini ipsi solerti non facile obediens.

Frequentissime sub partu comparet, id peculiare praeseferens, quod utero sese contrahente augeatur, quum tamen in aliis metrorrhagiis, contractione hujusce visceris obtingente imminuatur.

In hoc casu labia orificii crassiora et molliora quam alias inveniuntur; orificium vero ipsum, corpore molli atque spongioso, sub levissima pressione sanguinem plorante, placenta scilicet pro parte aut totum obturatur, prout placenta aut centrum aut partem ejus occupat.

Indagatio digiti ope, in casu nonnisi gravi adhibenda, caute semper instituatur necesse est, ne fors coagula sanguinis, haemorrhagiam prohibentia aut prohibitura semoveantur.

Haemorrhagiam uteri internam, symptomata haemorrhagiarum universalia comitantur, quin sanguis effluat:

Sensatio debilitatis gastricae, saepe cum famis sensu commutatae, primum in metrorrhagiis plerumque sistit symptoma. Quodsi uterum indagaveris, illum volumine invenies auctum, et quidem aequali modo sanguine in membranarum cavum effuso, aut in aequali ratione, ac si organon in duas divisum tangeres sphaeras, sanguine extra membranas et pone placentam profluente, et partem nonnisi cavi uteri explente.

Prognosis respicit:

1. Matrem

2. Foetum.

Quoad matrem: Quo propius partui graviditatis accedit tempus, eo gravior haemorrhagia est aestimanda; usque ad mensem graviditatis quintum, metrorrhagia raro lethalis observatur.

Quoad foetum: Quo remotior partus, quo uberius sanguinis profluvium, eo minor vitae futurae spes.

Haemorrhagiae internae majori stipantur periculo, quam externae; diu enim latent occultae, sanguinis in utero accumulatio organon hocce extendit, dispositionem in haemorrhagiam auget, uterique evacuationem exposcit, qua utpote cito peracta, hujus visceris atonia nec non lethalis organismi totius debilitas producitur.

Externa contra haemorrhagia, non raro plethoram localem imo universalem sanare solet.

Therapia. In sananda metrorrhagia, natura triplici modo procedere solet.

1. aut placenta iterum uteri faciei internae adhaerescit;
2. aut vasa contractione propria clauduntur;
3. aut vasa per coagula sanguinea obturantur.

Quod primum adtinet, illud nonnisi quiete summa, atque remediis haemostaticis et recidivam prohibentibus obtineri potest. Contractio vasorum et per eam haemorrhagiae interceptio, nonnisi in haemorrhagiis exiguis, sublata plethora universali aut congestione locali, locum habere solet.

In haemorrhagia autem profusa unica salus in prompta sanguinis coagulatione et inde nata mechanica vasorum hiantium obturatione erit quaerenda.

Veteres hunc in scopum adhibebant adstringentia, imprimis pessaria (Tampon dicta) variis ex materiis constructa, liquoribus adstringentibus aut pulveribus ejusdem indolis imbuta, et tali modo vim mechanicam, nempe vasa comprimentem, cum virtute adstringente nec non sanguinis coagulationem promovente et accelerante simul jungere conati sunt. Alii pessaria sola absque medicaminibus exhibent, effectum mechanicum tantum in voto habentes. A Desormeaux commendantur primis tantum graviditatis mensibus, quamdiu nempe parietes uteri adeo solidi, ut ulteriori sanguinis profluvio obicem ponere possint. Remedium tamen hoc nonnisi omnibus reliquis incassum adhibitis in usum vocare li-

cet; nam pessario uterus irritatur, in contractiones agitur, quibus non solúm pessarium sed et sanguis atque foetus (nonnunquam magnum in matris emolumentum) expelluntur.

Mensibus graviditatis ultimis pessaria eundem non exserunt éffectum, quum haemorrhagiam externam convertant in internam; illud tamen praestant commodi, quod rapidum sistant profluvium matribus mortem minitans; ita ut expectare possis, donec uteri orificium collecto sanguine aperiatur, manusque ad partum accelerandum introduci queat. A nonnullis pessaria quoque in haemorrhagiis post partum intrantibus commendantur; quae plerumque vehementissimae, aegram cito morti tradunt.

Profluvium enim sanguinis, foetu expulso, uteroque atonia laborante, ex viscere dilatato nullis prohibetur impedimentis. In hoc casu activitatis in utero suscitandae atque contractilitatis ejusdem organi restituendae causa, commendantur a Leroux pessaria in cavum uteri protrudenda. Eorum tamen efficacia uti vesicae in uterum inducendae, atque tunc aëre atmosphaerico implendae, ab aliis nondum comprobata est.

Centractio vasorum uterinorum sola auxilium ferre potest, ad quam provocandam partus per vim (accouchement forcé) praecipue tum in usum vocatur, cum placenta collo uterino adhaereat.

In aliis casibus methodus a Puzos laudata praeferenda. Inducimus unum aut duos digitos per orificium uteri, quod sensim sensimque dilatare studemus, ita ut nonnisi pedetentim vis adhibita increscat, quiesque per intervalla concedatur. Dilatatione hac interrupta provocantur dolores, uterus in contractiones agitur, quarum ope membranae intumescunt, quo facto statim aperiuntur.

Haemorrhagia sub partu ea cum atrocitate, intrans,

ut omnis mora matrem in discrimen conjiciat, foetus versionem aut forcipis auxilium vehementer implorat.

Commendantur praeterea secale cornutum, ad constractiones uteri sollicitandas; quocumque demum modo partus acceleretur, major semper exinde spes, matris conservaudae, emergit.

In haemorrhagia uteri post partum intrante, tam externa quam interna, hujus organi contractio ejusque a placenta atque coagulis separatio, provocanda erit.

Quapropter frictiones parietis abdominis antici, epithemata frigida aliaque remedia localia, quae extra graviditatem adhibentur et hic loci in usum trahuntur.

In omnibus casibus tamen manus in uterum introductio remedium sistit, ad uteri contractiones provocandas et haemorrhagiam sistendam, praestantissimum. Manu altera abdomini imposita, organon immobile redditum, quidpiam insimul irritatur, pulpa digitorum manus alterius, faciem uteri internam irritat, atque utero sese contrahente, manumque una cum placenta et coagulis propellente, manus retrahitur.

Usus spiritus vini rectificati, olei terebinthinae, spiritus vitrioli, nitri, sulphuris maxime contraindicatur, quum quae exinde enascuntur pericula, facile ipsam haemorrhagiam superare valeant.

Fructus citri degluptus in uterum delatus ibique pro parte expressus, parietes uteri ad contractionem incitare dicitur.

C. Varices.

Varices non tantum in cruribus sed et in femoribus atque ad genitalia ipsa obveniunt. Plerumque valde copiosi totam extremitatem inferiorem occupantes, coloris caerulei, superficiem inaequalem et tuberosam offerant, magnitudinem ovi gallinacei adtingunt, non raro rupti haemorrhagias graves producunt, nonnunquam

cute valde tensa inflammantur, aut in suppurationem abeunt, doloreque plus minusve insigni stipantur.

Ex eo quod graviditatis initio haec systematis vascularis adfectio vix observetur sub partu appropinquante autem morbus ingravescat, omni jure concludere fas est, uteri explicationem vasorumque pressionem hancce producere affectionem.

Therapia. Artis medicae erit, incrementum eorum aeque ac rupturam prohibere. Huic scopo inserviunt, si atonia nondum valde progressa fuerit, frictiones spirituosae e. g. spiritus saponis, crematum forte, spiritus sacchari seu Rhum, aqua Coloniensis et similia; in casu graviori tibialia constringentia, adcurate accommodata, diu noctuque retinenda. In individuis plethoricis venaesectio quoque indicatur. Situs quoque horizontalis, quies summa, uti et compressio ope fasciae circularis laudantur. A Jörg commendantur balnea aromatica individuis laxis varicibusque laborantibus.

D. Oedema extremitatum inferiorum labiorumque pudendi majorum.

Per circulum sangunis atque lymphae in vasis extremitatum inferiorum impeditum, oedema pedum ac labiorum pudendi utplurimum oritur. Constitutio gravidae, energia systematis vascularis exigua, pelvis constructio, qua uteri in vasa pressio fovetur, non penitus praetereunda sunt.

Oedema extremitatum inferiorum altum fastigium adtingens absque magnis molestiis saepe fertur, nisi fors accedat oedema labiorum pudendi. Non raro valde tument, livent, frigent, atque sibi magis continguae et situm et insessum et ingressum prohibent.

Prognosis fausta, quum oedema post partum sponte dispareat.

Therapia. In individuis plethoricis indicatur venaesectio, alias remedia mitia purgantia, atque diuretica, nec non situs horizontalis, praestantissimum exserunt effectum. Quum oedema labiorum pudendi majorum partum difficilem reddere, et labia sub partu lacerari possint: instituuntur punctiones quaedam superficiales in partibus oedematosis.

A Levret praeter punctiones adponuntur vesicantia pro parte femur, pro parte labium pudendi majus occupantia.

E. Haemorrhoides.

Explicantur saepe graviditatis tempore haemorrhoides, quibus tamen eadem periodo mederi frustaneum imo quandoqne noxium susciperes opus.

Haemorrhoides vero jam antea explicatae pressione partim ab infantis capite, partim a faecibus accumulatis progressa, irritantur, inflammantur, ampliantur et dolorificae evadunt.

Therapia. Dolori et phlogosi itaque occurendum erit; alvus obstipa reseranda, dolores inunctionibus, cataplasmatibus emollientibus ac sopientibus leniendi, inflammatione et turgescentia tumorum haemorrhoidalium valida, ipsa phlebotomia est fuganda. Saepe et hirudinum circa mariscos adplicatio (quae tamen summam exposcit cautelam, ne fors abortus oriatur) subito dolores pacat.

III. Turbae respirationis.

A Dyspnoea.

Respirationem ultimis graviditatis mensibus volumine uteri insigniter aucto, praecipue in individuis staturae parvae molestam reddi ex physiologicis patet.

Quodsi ad haec alia adhuc accedat causa, e. g. mala thoracis conformatio, status morbosus pulmonum aut ipsius cordis, vel plethora vasa pulmonalia sanguine obruens, dispnoea insignem gradum adepta, suffocationem minari potest.

Therapia. Ad plethoram tollendam et ad vasa pulmonalia sanguine liberanda, indicatur venaesectio, quae regimine diaetetico tenui refrigerante, apto corporis situ aut statu nec non vestibus sat amplis adjuvatur.

B. Tussis.

Raro tussis solam graviditatem agnoscit causam, nisi forte dispositio adsit nervosa, in quo casu tussis evadit brevis, sicca et frequens — aut pulmo diathesi inflammatoria aut haemoptoica laboret, ubi symptomata a circulo sanguinis impedito proficiscentia sese explicant.

In utroque casu vehementiam tussis quidem moderare, morbum tamen, durante graviditate abigere non possumus. Tussis vero, qua symptoma adfectionis catarrhalis, aut alius morbi apparatus respiratorii, per graviditatem augetur, simulque organa abdominis imprimis uterum conquassando discrimen aegrae parat, metrorrhagiam vel abortum producendo; nonnunquam alias parat molestias, imprimis involuntariam urinae evacuationem.

Therapia. Quod curam adtinet, illa secundum adfectionem principalem modificatur. In tussi haemoptoica, venaesectionibus atque antispasmodicis incassum adhibitis, purgantia mitia, diutius in usum tracta, optimum praestant remedium. Emulsiones oleosae mucilaginosae.

IV. Adfectiones systematis uropoëtici.

Utero quoad volumen aucto, vesica comprimitur et *ad lotium saepius mittendum* imprimitur Quodsi collum

vesicae atque urethra comprimuntur, *dysuria* aut *ischuria* in scenam prodit.

Pressio haec, partes dictas irritans, non raro inflammationem provocat, quam *stranguria* sequitur, quae vulgo acrimoniae lotii ex longa ejus in vesica mora tribuitur.

Molestiae hae variis graviditatis temporibus sese explicant; mense nempe quarto aut quinto, apud feminas pelvi spatiosa donatas, quo tempore scilicet uterus adhuc in cavo pelvineo commoratur — et ultimis tribus mensibus, utero supra cavitatem pelvineam elevato, et vesicam contra parietem abdominis, aut collum vesicae contra cristam ossium pubis agente, praesente imprimis situ uteri obliquo.

In casu primo malum sponte disparet quamprimum uterus cavitatem pelvis deseruerit; in casu altero partu solo terminatur.

Non raro dysuria aeque ac stranguria ab uteri dislocatione, retroversione imprimis, nec non a calculis vesicae urinariae atque ejus inflammatione, haemorrhoidibus inducta proficiscitur.

Quando affectiones nominatae ab uteri explicatione dependeant, pedetentim nonnisi evolvuntur, quamvis alimentis acribus, potu spirituoso aut aliis irritamentis cito augeri possint. Nisi causae earum ex symptomatibus et reliquis circumstantiis rite cognoscantur, exploratio et catherisatio omne pellit dubium.

Necessitas urinam saepe mittendi, quae summo in gradu in urinae incontinentiam abit, molestiis potius, quam morbis accensenda erit. Post partum sponte evanescit, et arte vix domatur. Potus emollientes, semicupia emollientia, saepe irritationem atque socium illi tenesmum vesicae dispellunt. Qui vero a pressione vesicae per uterum proficiscitur tenesmus, uti et ischuria, situ gravidae quieto, horizontali, nec non fascia ventrem sursum levante dissipatur.

Retentio urinae magnis stipatur saepe periculis. Vesica lotio repleta, ad umbilicum usque ascendit, formatque tumorem oblongum, parietes abdominis sursum agentem, utero similem. Alias in obliquum extenditur herniamque efficit in regione inguinali aut perinei. Nonnunquam vesica, summum extensionis fastigium adtingente, urina sponte secedit, quod tamen raro accidit. Saepe utero, manuum ope sursum tracto, aut corpore antrorsum inclinato, quo uterus aperturam pelvis superiorem deserit, urina mittitur. Hisce frustra tentatis, uterus ope digitorum duorum in vaginam introductorum elevatur, quod a gravida ipsa tentari potest. Catheteris sive sueti sive complanati adplicatio, magnis premitur difficultatibus, quum non raro partium contusiones imo dilacerationes producat. Remedia emollientia sub omni forma adhibita stranguriam saepe tollunt.

V. Turbae digestionis.

A. Ptyalismus, vomituritiones, vomitus.

Symptomata haec, gradu nonnisi differentia, graviditatem plerumque comitantia, valde nonnunquam effervescunt, morbique dignitatem assequuntur. Causa horum symptomatum uti et prognosis atque cura ab invicem non differunt, hinc de ptyalismo atque vomituritionibus verba fundere supervacaneum censemus, atque vomitum solum hic loci tractabimus.

Vomitus aut toto graviditatis tempore, aut primis quatuor mensibus perstat, nonnunquam ultima graviditatis periodo adparet. Plerumque mane intrat, liquorem tenacem evacuans, alias nulli diei tempori adstrictus, saepius revertitur imprimis autem post cibos assumtos redire solet. Excitatur saepe per alimenta cujuscunque conditionis, attamen nonnunquam cibis sopitur.

Causa proxima non adeo in plethora, quam in uteri extensione quaerenda. Ventriculus enim organon est, quod cum utero in magna sympathia versatur, atque vel sensibilitate universali, aut ventriculi solius evecta in actiones agitur abnormes. Causae vero aliae accessoriae non praetereundae sunt, quum constet, consitutione epidemica regnante vomitum charactere peculiari imbui.

Prognosis non infausta.

Therapia. Indicationes pro varia causa variae. Itaque ante omnia exaltatio vitalitatis uteri nimia a sanguine influente et foetu sese explicante producta, quantum fieri potest imminuenda; sensibilitas ventriculi ejusque commercium dynamicum cum utero obtundendum; reliquae causae occasionales vel accessoriae vitandae.

Indicantur itaque alimenta temperantia, magis fluida quam solida, facile digerenda, aliis tamen nonnisi solida, aliis deniqne alimenta vix digerenda magis conveniunt. Imprimis autem venaesectio, balnea universalia atque semicupia scopo respondent proposito. Phlebotomia in individuis plethoricis, menstruis largis salutatis, et congestione locali laborantibus primum occupat locum.

Indicationi alteri respondent: sanguisugae ad scrobiculum cordis adplicatae. Alii in huncce scopum cucurbitam majorem post cibos assumtos scrobiculo cordis imponendam laudant. Pari ratione et emplastrum Theriaca, fomentatio cum Laudano liquido Sydenhamii in usum trahuntur. Alii aquas praescribunt aromaticas: Cinnamomi, menthae piperitae cum vel sine opio. Inunctiones aromaticae et oleosae opio nuptae in ventriculi regione. His tamen emplastrum aromaticum cum opio, camphora, aut oleo menthae piperitae vel caryophyllorum praeferenda. Potio Riverii, guttae nonnullae Laudani liquid. Syd. interne exhibitae; aqua Selterana; radix Colombo.

Saepe malum omnem spernit medelam, et multis medici sudoribus solum paulum lenitur. Caveat medicus ne vehementibus utatur remediis ad vomitum opprimendum. Quodsi saburra adest, remedia leniter purgantia nunquam spernenda erunt.

B. Anorexia.

Quae primis graviditatis mensibus adparet anorexia serius cessat, eamque non raro excipit appetitus adauctus. Illa itaque non ad morbos erit referenda, praesertim quum natura hac ratione statum plethoricum optime caveat. Causae et therapia eadem ac in vomitu. *Pica, malacia* et extra graviditatem in hystericis obveniunt.

C. Alvi obstipatio.

Ultimam graviditatis comitatur periodum, summamque medici adtentionem sibi exigit. Protracta enim, anorexiam, digestionis turbas, inquietudinem et agrypniam provocat; pressione a faecibus accumulatis profecta, intestinum rectum irritatur, haemorrhoides facile gignuntur, quin imo sub nisu ad alvum metrorrhagiae atque abortus excitari possunt,

Therapia. Clysmata emollientia ter quater de die adplicanda; faecibus lubricis factis suppositoria, purgantia mitiora, imprimis salina e. g. aqua Sedlicensis etc.

VI. Adfectio psychica.

Melancholia.

Melancholia gravidarum vel jam sub initio exoritur, vel sub decursu graviditatis evolvitur. Raro illum adtingit gradum ut conscientiam penitus obfuscet. Gra-

viditate ad finem vergente, adfectio psychica increscit, sed partu peracto evanescit, adfectionibus hystericis plerumque locum cedens.

Dispositio insignis, individuis hystericis et constitutioni sic dictae atrobiliari tribuitur.

Therapia. Remedia partim antihysterica, partim sanguinis venositatem imminuentia malum fugabunt semper respectu graviditatis habito. Laudantur aquae minerales : Kissingen, Marienbad.

Extra graviditatem regimine diaetetico dispositio tollatur.

Theses defendendae.

I.

Matrimonium est praecipuum macrobioticum.

II.

Medicus medici judex.

III.

Suicidium vesania.

IV.

Non existunt morbi haereditarii.

V.

Animus ejusque nexus cum corpore a medico non a philosopho est explicandus.

VI.

Scrophulosis et tuberculosis eadem dyscrasia.

VII.

Chirurgia sine medicina est navis sine velis, remis et gubernatore.

VIII.

Medicus ipse potens saepe remedium.

IX.

Amor platonicus morbus.

X.

Mit einem Hypochonder zusammen zu leben, bringt nicht nur Langeweile, sondern auch Gefahr.

Romberg.

XI.

Auscultatio immediata mediatam non penitus resarcit.

XII.

Medicus laudatus a profanis non ridebit, vituperatus non flebit.

XIII.

Vinum potus, remedium, venenum.

XIV.

Herniotomia, in qua saccus hernialis non aperitur, generatim illi, in qua aperitur, postponenda venit.

XV.

Medicus castrensis nec ulla artis doctrina carere potest.

XVI.

Medici sicut oeconomi a tempestate dependent.

XVII.

Adridens Baccho adflebit Aesculapium.

XVIII.

Solus amauroticus vere coecus.

XIX.

Nec Allopatha, nec Homoeopatha, nec Hydropatha — sit venia verbis — ast medicus sum.

XX.

Studium historiae naturalis formalem aeque ac materialem utilitatem praebet.